

PA
4274
N52L4



1859

I N D E X S C H O L A R U M

PUBLICAE ET PRIVATIM
IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

ANNI MDCCCLIX

A DIE XXVII. M. APRILIS USQUE AD DIEM XX. M. AUGUSTI

HABENDARUM.




*Praemissae sunt Ernesti a Leutsch de Pindari carminis Nemei noni
prooemio adnotatiunculae.*

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

PP
4274
N52L4



206215

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
GEORGIUS WALTZ D.
CUM SENATU.

Pindari carmina si quis assiduo pertractat labore animique in ea intentionem dirigit, quamquam praestantissimi Boeckhi ac Disseni adsunt commentarii eorumque curae qui hos duces secuti sunt nequaquam spernendae, locos tamen haud paucos inveniet, quibus aut propter lectionis corruptelas nondum emendatas aut difficiliore verborum structuras nondum satis expeditas impediri se intelliget. Documento sit prooemium carminis Nemei noni. Poeta Chromii Siculi, ducis fortissimi et omni gloriae genere tum maxime florentis victoriam Nemeae curru reportatam celebraturus praeclara imagine Musas advocat ut ipsae carmen nectant ad finemque perducant:

*Κομιάσομεν παρ' Ἀπόλλωνος Σικωνόθε, Μοῖσαι,
τὰν νεοκίσταν ἐς Αἴταν, ἐνθ' ἀναπειταμέναι ξείνων νερίκανται θύραι,
ὄλβιον ἐς Χρομίου δῶμι· ἀλλ' ἐπέων γλυκὺν ὕμνον πρόσσετε·
τὸ κρατήσιπον γὰρ ἐς ἄρμ' ἀναβαίνων ματέρι καὶ διδύμοις παιδείσιν
αὐδὰν μανύει*

Πυθῶνος αἰπεινᾶς ὀμοκλήροις ἐπόπταις.

Ibi viri docti versus quarti verba *αὐδὰν μανύει* obscure dicta esse contendunt et vario modo nebulas diluere conantur: at modo ne cum interpretibus Chromium, sed hymnum ut sententiarum ordo postulat enuntiati subiectum esse statueris, nihil hic obscuri latere facile concedes: hymnus enim in Chromii currum victoriam escendens in Latonae eiusque filiorum honorem laudes nuntiat lateque disseminat, ut alio loco ipse Musarum currus Nicoelis pugilis virtutem cantat (Pind. Isthm. VII, 62) aut ipse cantus egregia Lamponis facinora propagaturus per maria proficiscitur (Pind. Nem. V, 2) aut ut hoc addam occupati in carmine pangendo poetae Musarum curru aut rheda victoris mulari vehi dicuntur (Pind. Isthm. II, 3. Olymp. VI, 22 ibique v. Boeckhium et Dissenum). Jam ad prooemii finem accedamus:

*ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώπων, τετελεσμένον ἔσλόν
μὴ χαμῶσι σιγῇ καλύψαι· θεοσεισίῃ δ' ἐπέων καύχαις αἰοιδὰ πρόσφορος.*

Dissensus quidem de vv. *μὴ χαμῶσι* integritate non dubitavit: sed quantum a poetico huius loci colore distent sagacissime vidit Heckerus (Philol. T. V, p. 449) idemque omnem si quid video de his verbis dubitationem corrigendo *μηδαμῶ* felicissime removit. Restant ultima, quae codices ad unum omnes sic exhibent: *ἐπέων καύχαις αἰοιδὰ πρόσφορος*: quae cum ferri non possint Benedictus *καύχαις* coniecit, Schneidewinus *καυχᾶσθ'*, Kayserus *θεοσεισίαν δ' ἀρετᾶν καυχᾶσθ'* αἰοιδὰ πρόσφορος: nuperrime

Rauchensteinus (Philol. T. XIII, p. 434) *θεσπεσία δ' ἐνέπειν καύχας αἰοιδὰ πρόσφορος* commendavit simul aliorum conamina leniter ut solet perstringens. Alia tamen via res videtur aggredienda. Cum *καύχας*, voci *αἰοιδὰ* adiunctum, bonam in partem ut *κόμπος* (Pind. Isthm. I, 43) positum nihil offensionis praebeat, et *καύχας αἰοιδὰ* de altissimo laudis gloriaeque gradu recte dictum sit, in voce *ἐπέων* corruptelam quaerendam esse sponte apparet: qua de causa vocabulum *ἐπέων*, e versu tertio ut videtur repetitum, ad vocis paulo rarioris *καύχας* explicationem adscriptum esse censeo eoque solita librariorum incuria inter poetae verba collocato factum esse ut vox ab ipso poeta profecta e sede sua metri causa moveretur atque plane deleteretur. Quae autem vox deleta sit, quamquam omnino non videtur quaeri posse, tamen comparato versu ad emendandum nostrum ut ita dicam nato carminis Nemei septimi sexagesimo secundo: *ποτίφορος δ' ἀγαθοῖσι μισθὸς οὐτός*, non dubium videtur quin nostro loco scribendum sit: *θεσπεσία δ' ἀγαθοῖς καύχας αἰοιδὰ πρόσφορος*: accedit denique coniecturae nostrae commendatio ex antiqui scholiastae explicatione: *τοῖς νενηκηγόσι, γῆσι, πρόσφορός ἐστι καὶ εἰκνία ἢ διὰ τῆς καυχήσεως ὥδῃ*. Ceterum hoc dictum antiquum et populare res praeclare gestas non silentio premendas sed divino laudum gloriaeque cantu celebrandas esse poeta proposuit, ut hominum ad virtutem studia accenderet: eademque de causa sub carminis finem exclamat: *ἐν πόρων δὲ, οὐδὲν νεότητι γέρονται σὺν τε δίκῃ, τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἀμέρα*, i. e. ex laboribus qui in iuventute cumque iustitia suscepti fuerint, quando senectus adrepat, vita placida existit: vitam enim in senectute placidam et a dementi vitae quotidianae strepitu tutam inter summa hominis bona Pindarus referre solet. Quo modo haec optimi poetae sententia Vos, Commilitones, attingat, non opus est pluribus disseram: vitae partem, quae hac in alma literarum sede iuvenes dum estis concessa Vobis est, ita cum virtute degatis, ut ex studiorum academicorum tempore vera gaudia semper colligere atque percipere possitis.

P. P. in Academia Georgia Augusta m. Februario MDCCCLIX.

RECITATIONES ORDINARIAE. ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., h. IX—X quinquies per heb. *Actus Apostolorum* interpretabitur, habita *recentiorum de libri hujus authentia, fide historica et auctoritate canonica* disquisitionum ratione; h. XI—XII quinquies *Isagogen in libros N. T. canonicos historico-criticam* docebit; publice h. III—IV dieb. Lunae et Martis *Pauli ad Timotheum et Titum epistolas* explicabit.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Regii Seminarii homilectici* exercitationes moderabitur die Saturni h. X—XII, item publice

Exercitationes catecheticas more sueto moderari perget. Privatim *Encyclopaediam theologiae* docebit quater hora XI—XII dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. *Theologiae practicae* partem alteram tradet i. e. Liturgicam, Homileticam et doctrinam de cura animarum *quinquies* h. III—IV.

J. A. DORNER, Dr., P. P. O., *Apologeticam*, seu Dogmaticas christianae partem priorem sexies hora XII; *Symbolicam* christianam quater hora IV tradet. Praeterea *Societatem Theologicam* moderari perget hora VIII—X die Mercur.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., publice *Historiam sacrorum saec. XVI. instauratorum* enarrabit diebb. Mart., Jov. et Veneris hora III—IV. Privatim *Historiae ecclesiasticae partem posteriorem* tradet sexies per hebdomadem hora VIII—IX. — *Societatem theologicam* sueto more moderari perget.

L. F. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *Exercitationes liturgicas* sodalium Seminarii practico-theologici moderabitur die Sat. h. IX—X, et una cum HILLE, Mus. Dir. Acad., *Cantum ecclesiasticum* eos docebit die Merc. VI—VII. Privatim *Ethicam theologicam* quinis senisve per hebdomadem horis XI—XII tradet et publice de *Hymnologia christiana* diebus Lun. et Mart. V—VI disseret. Praeterea *Societatem dogmaticam* die Vener. VI—VIII moderari perget.

FRIDER. GODOF. RETTIG, Dr. ph., Generalis Superint. princip. Gotting., *praecepta artis catecheticae*, duce libello suo, quaternis per hebdomadem lectionibus hora X privatim tradet; *Exercitationes catecheticas* horis commilitonibus commodis publice moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., hora IX—X et hora XI—XII *Pandectas* tradet, omisso tamen obligationum jure, quod ill. collega FR. MOMMSEN docebit.

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus Germanicum privatum cum feudorum et mercaturae jure* ex quarta libri sui (*Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht u. s. w. nebst beigefügten Quellen. Gött. 1855*) editione sexies per hebdomadem h. VII—VIII et IX—X adjunctis *theoretico-practicis exercitationibus* una auditoribus commoda hora tradet.

GUIL. FRANCKE, Dr., hora VIII—IX doctrinam juris Romani *de hereditatibus*, hora XI—XII *Institutiones juris Romani* explicabit.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Jus publicum Germaniae* sexies per hebdom. hora XII; *Theoriam processus criminalis*, recentiorum legum quae in Germania de reformando publicorum judiciorum ordine latae sunt praecipue *Codici regni Hannoverani* peculiari ratione habita, duce libello suo: »*Grundlin. des gem. deutschen Crim.-Processes u. des reformirten Strafverfahrens in Deutschland*«, *quinquies* p. h. hora X; *Encyclopaediam juris* quater p. h. hora IX.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., h. IV—V quater per hebd. collegium *processuale practicum* instituet, h. V—VI trinis lectionibus doctrinam *de processu summario* tradet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., *Jus criminale* docebit senis lectionibus hora X. *Jus ecclesiasticum* quinis senisve h. XII. *Selecta juris criminulis capita* bis per hebd. publice tractabit.

HENRICUS THÖL, Dr., mandatu publico unus eorum, qui de legibus rei mercatoriae germanicis deliberant, scholas non habebit.

FRIDERICUS MOMMSEN, Dr., tradet hora XI—XII *Institutiones juris Romani*, hora XII—I *Jus obligationum*.

ORDINIS MEDICORUM.

JO. GUIL. HENR. CONRADT, Dr., publice dieb. Jov. hora IV *selecta capita Pathologiae et Therapiae specialis*, subjecta *casuum medicinalium* expositione, privatim quater per hebdomadem hora IV *Pathologiam generalem* ex sexta compendii sui editione tradet.

C. F. H. MARX, Dr., h. III—IV doctrinam *de Remediorum effectibus atque usu*, necnon *artem formulas medicas concinnandi* quinquies per hebd. tradet; hora IV—V diebus Lunae, Martis et Mercurii *Pathologiam et Therapiam generalem* docebit.

ED. C. J. DE SIEBOLD, Dr., hora VI matut. quater p. h. *Artis obstetriciae doctrinam* exponet simulque auditoribus aditum ad *partus observandos* praebit. *Cursum operationum* cum observat. partuum conjunctum hora III vel al. hor. instituet. *Exercitationes clinicas* hora III moderari perget.

F. WÖHLER, Dr., hora IX—X sexies per hebd. *Chemiam* tradet. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Physiologiam generalem et specialem cum Embryologia* hora X—XI docebit. *Historiam naturalem et Zoologiam* hora V—VI tradet. — Si qui horis publicis III—V, quibus die Martis et Veneris Museum academicum patet, accuratorem speciminum zoologicorum in Museo exstantium notitiam desiderabunt, sua officia offert. — *Exercitationes systematicas zoologicas* in seminario phys. mathem. moderari perget.

RÜDOLPHUS WAGNER, Dr., docebit: *Physiologiam experimentalem* diebb. Lunae, Martis, Mercur. et Jov. hora X—XI; *Physiologiam generationis atque evolutionis* diebb. Veneris et Saturni hora X—XI; *Zoologiam generalem et medicam* (i. e. Elementa historiae naturalis animalium) cum demonstrat. bis per hebd. diebb. Mercur. et Saturni h. VIII—IX.

GUIL. BAUM, Dr., publice *de ossibus fractis et luxatis* disseret d. Ven. et Saturni hora II; privatim *de oculorum auriumque morbis*, quater per hebd. hora II; *Chirurgiae partem priorem* tradet quinquies hora IV, et d. Saturni h. III. *Exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas et ophthalmiatricas* in nosocomio Ernesto-Augustano diriget quotidie h. IX. *Exercitationes operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* in theatro anatomico quoties cadavera aderunt diriget h. VI vesp.

J. HENLE, Dr., *Anatomiae systematicae partem secundam (Angiologiam et Neurologiam)* quotidie h. XII—I; *Osteologiam et Syndesmologiam* d. Lun. Merc. Ven. h. XI—XII; *Anatomiam generalem* d. Martis, Jov. et Sat. h. XI—XII tradet.

A. GRISEBACH, Dr., h. VII *Botanicen tam generalem quam specialem* explicabit et excursionibus botanicis plantarumque horti acad. demonstrationibus illustrabit; h. VIII *Botanicen medicam* docebit. Seminarii physico-mathematici sodalibus *Exercitationes practicas ad Botanicen systematicam spectantes* offert.

C. E. HASSE, Dr., *Puthologiam et Therapiam specialem* sexies hora VII et bis die Martis et Veneris hora VIII tradet. *Scholam clinicam et policlinicam* quotidie hora X et dimidia moderari perget.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JO. FRID. LUD. HAUSMANN, Dr., h. VIII sexies p. h. *Geognosiam*, conjunctis excursionibus, h. X diebus Lunae Martis Jovis et Veneris *Tecnologiam* tradet. *Demonstrationes mineralogicas et palaeontologicas* in Museo academico sueto more publice instituet.

G. C. J. ULRICH, Dr., *Trigonometriam planam et sphaericam cum Stereometria* h. X tradet; *Geometriam practicam* conjunctis excursionibus h. V—VII dieb. Lun. Mart. Jov. et Veneris docebit. In Seminario physico-mathematico exercitationes mathematicas moderabitur die Merc. h. II.

CAROLUS HOECK, Dr., *Historiam Romanam post pugnam Actiacam* tradet, hora e tabulis publicis indicanda.

HENRICUS EWALD h. IX scripta *Johannea* omnia explicabit; h. X librum *Jesaiæ* propheticum et caeterorum prophetarum locos selectos interpretabitur. Publice h. II ternis lectionibus linguam *Turcicam* una cum *Persica*, ternis *Aramaicam* una cum *Arabica* docebit.

GUILIELMUS WEBER, Dr., h. III—V publice *Seminarii physico-mathematici* sodales institucendis *Observationibus physicis* exercebit, privatim *Physices experimentalis partem primam*, dd. Lun. Mart. et Merc. docebit.

F. TH. BARTLING, Dr., *Botanicen specialem*, praemissis Bot. generalis elementis, sexies per hebdom. h. VII; *Botanicen medicam* quinques per hebdom. h. VIII; *Botanicen oeconomicam* dieb. Lun. Mart. Jov. et Ven. h. XI tradet. — *Excursionibus botanicis* sueto more instituet. *Demonstrationes in horto acad.* hora commoda habebit.

HENRICUS RITTER, Dr., hora III—IV quinques per hebdom. *Logicen et Metaphysicen*, hora V—VI quinques per hebdom. *Historiae philosophiae partem priorem seu Historiam philosophiae antiquae* docebit.

G. LEJEUNE DIRICHLET, Dr., doctrinam *de numerorum proprietatibus*, imprimis *formarum quadraticarum ratione* habita, dieb. Lun. Mart. Merc. et Jov. hora XI—XII exponet.

G. HANSEN, Dr., hora X—XI quinques per hebdom. *scholis Statisticam generalem* tradet; h. III—IV quater per hebdom. *Theoriam oeconomiae nationalis* docebit.

CAROLUS OESTERLEY, Dr., lectionum suarum cursum consueto more persequetur.

AUGUSTUS GUILIELMUS BOHTZ, Dr., *Psychologiam* dieb. Lun., Mart., Jov. et Ven. hora XI—XII docebit; *Historiam Germanorum litterariam* inde a Lessingio usque ad nostra tempora dieb. Lunae, Mart. et Jov. h. III—IV narrabit.

ERNESTUS LUDOVICUS A LEUTSCH, Dr., publice *disputationes* sodalium Seminarii philologici reget, d. Mercurii et Saturni hora XI—XII. — Privatum *Artem metricam* ex libro suo: *Grundriss zu Vorlesungen über die Gr. Metrik*, docebit, quinquies p. hebd. hora III—IV, et *Livi historiarum orationes* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X—XI.

GUILIELM. HAVEMANN, Dr., hora III diebus Lun., Mart., Jov. et Vener. *Historiam praecipuorum Europae regnorum inde a saeculo sexto decimo usque ad tempora nostra* leget. Hora XI—XII iisdem diebus *Historiam Brunsvico-Lunaeburgensem* docebit.

G. WAITZ, Dr., quinis scholis h. VIII—IX *Historiam medii aevi* tradet; quater h. IV—V *Historiam Germanorum et civitatum Germanicarum inde a medio saec. XVIII.* enarrabit. Publice semel *exercitationes historicas* instituet.

ERNESTUS BERTHEAU, Dr., *Psalms* interpretabitur sexies p. h. h. X XI; *conspectum historiae populi Israelitici* tradet ternis lectionibus h. XI—XII. Privatissime sed gratis *linguam arabicam* et *syriacam* docebit ternis lectionibus h. II—III.

RUD. HERMANNUS LOTZE, Dr., quatt. dd. hora VIII—IX *Metaphysicam* docebit, quatt. dd. hora V—VI *Historiam philosophiae inde a Cartesio lucusque exultae* enarrabit.

W. SARTORIUS DE WALTERSHAUSEN, Dr., quaternis scholis h. XI—XII *Mineralogium* docebit. *Exercitationes practicas ad mineralogiam spectantes* moderari perget.

JOANNES BENEDICTUS LISTING, Dr., *Crystallographiam* ter p. hebd. h. IV—V tradet; *Opticen* dieb. Jov. Ven. et Sat. h. XII—I; *Exercitationes physicas* in Seminario physico-mathematico moderari perget d. Ven. h. III—V.

F. L. A. SCHWEIGER, Dr., *Historiam litterariam medii aevi* adumbrabit quater per hebdom.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., hora commoda *selecta ex scriptoribus Arabicis capita* interpretabitur.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., publice *Seminarii Regii archaeologici sodalibus Artium antiquarum monumenta* explicanda proponet, die Saturni hora XII—I; privatim *Archaeologiam* et *Historiam artium a Graecis et Romanis culturarum* tradet, quinis scholis, h. X—XI, et *Archaeologiam orientalem* sive *Historiam culturae principalium populorum orientalium ex artium monumentis haustam* enarrabit, ternis scholis, h. IV—V; privatissime *Societatis philologicae studia* regere perget et *Commentationes a sodalibus Seminarii archaeologici scriptas* recensebit.

LK, 19.39.64.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
